

Quando imperator Fredericus obsedit Romam apud Montem Porcum [a].

CAP. LIX.

Anno Domini MCLXVII^d subjugata Campania et fere tota Apulia [b], per totum Julium et Augustumⁿ Imperator Romam obsedit, et apud Montem Porcumⁿ quadam die, quindecim millia Romanorum [c] occidit [A]; porticum Sancti Petri cum ipsa ecclesia ejus nimium læsit exercitus, demum cunctis de exercitu ex quadam nebula [d], quæ dicitur apud Romanos omnes basaboⁿ, infectis, quotidie [e] quasi miraculose cadentibus, vix cum paucis Imperator reversus est ultra montes [64].

Quando Mediolanum fuit reedificatum [f].

CAP. LX.

Eodem anno Lombardi, mala recolentes præterita, vitare volentes [x] futura deteriora, de consensu domini Alexandri papae Mediolanum, revocatis undique habitatoribus, reedificaverunt [65].

Quando Alexandria fuit ædificata, jubente Romano Pontifice.

CAP. LXI.

Anno Domini MCLXVII^d [x] (66) civitatem in episcopatu Papiensi, ex hominibus Guilelmi marchionis [67] Montis Ferrati construxerunt, ab Alexandro ipsam Alexandriam [B] nominantes. Cum juraverunt præterea fere omnes Lombardi, auctoritate prænominati Romani Pontificis, contra Imperatorem se invicem juvatu-ⁿros, si Imperator vel ejus nuncius aliquid vellet pertractare injuste.

[a] apud Montem Porcum. Sic Codd. M. et V.; at Cl. Mitt. legendum putat: apud Montem Porcium. De hoc monte Cl. Muratorius meminit, sub nomine di monte Gaudio. Auctor vero Vitae papae Alexandri vocat Montem malum. — [b] tota Apulia, C. V. In C. M., totam Apuleam. — [c] quindecim millia Romanorum. Sic Codd. — [d] ex quadam nebula. Sic lego. C. M., ex quadam nebulam. — [e] infectis quotidie, C. V. In C. M., infectis cottidie. — [f] fuit reedificatum. In Codd., fuit rehedicatum. — [g] vitare volentes. Sic lego cum Cl. Mitt. In Codd., jurare volentes. — [h] Anno Domini MCLXVII. Sic Codd., et præcipue Manfredianus.

[A] Otho a S. Blasio quod ad numerum hunc adstipulatur Tolosano. Caedes fuit maxima, sive Romae sive, ut aliis placet, Tusculi acciderit. Alii enim alio modo rem narrant. Vide Murat. Ann. Ital. [B] In ejus honorem sic nominarunt; non vero quod ædificandam ipse jussisset. Vulgo dicitur Alexandria dalla Paglia, quoniam paleis domos contigere coacti fuerunt conditores, cum, ob celeritatem summam qua ædificata fuit, aptiori materie carerent.

cl. Anon. Lat.
xviii, bub